matione quam animo complectebatur, quàm illis, ut sic dicam, Concordantiis Ciceronianis, pollicitum? & tamen Index Ciceronianus durat duraturusque est quamdiu ipse Cicero, Philosophia Nizoliana prope in ipso partu suffocationem ægrè effugit. Non ignoro Maioragii & Grifoli, occasione litis quam Ciceronis officiis Calcagninus moverat, indignationem; tùm Henricum Stephanum in Nizolio didascalo sive monitore Ciceronianorum Nizolianorum dialogo, ut inscripsit, minus æquum Nizolio fuisse, & à Criticis eum passim alto supercilio despici, sed Henricum Stephanum peculiaris causa impulit quod parentis sui Roberti Stephani Thesauro latinæ linguæ multum Nizoliano opere derogari cerneret; cæteri viri licet doctissimi, qui Nizolium fastidiunt, si in Nizoliana tempora incidissent, credo aliter sentirent. Aliud profectò judicavit Cælius Secundus Curio vir longè præstantissimus, qui conscio ac consentiente ipso Nizolio indicis Ciceroniani locupletationem ac recensionem in se suscepit; eodem incubuere Basilius Zanchius, Marcellus Squarcialupus, & Jac. Cellarius Augustanus. Ad Philosophicas autem meditationes hac ipsa diligenti Ciceronis lectione venisse videtur. Cum enim videret subtilissimum quemque Philosophiæ locum de Diis, de fato & divinatione, de rerum finibus, de differendi, inveniendi ac judicandi arte, de omni parte Reipublicæ ac vitæ humanæ officiis à Cicerone accuratè simul, & latinè, & luculenter, ne dicam eleganter & ubertim, tractatum esse; Nizolius noster vir acutus & bonus, non solum despicere meritò cœpit infelicem Scholasticorum tractandi rationem, tenebrarum affatim, parum rerum utilium, elegantiæ verò omnino nihil continentem; sed & impetum sumsit mentem hanc suam, & ad eam confirmandam meditata, hoc ævo restaurandis artibus fatali, publicè exponendi. Et passim quidem in scriptis suis excidere sibi talia passus est, & ut credi par est, oretenus data occasione monuit; sed ad justum opus occupandum hac demum, quæ sequitur occasione pertractus videtur. Scripserat Cælius Calcagninus disputationes sive disquisitiones Basileæ apud Frobenium anno